



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*INTER PRAECLARISSIMAS* **NATIONALE SANCTUARIUM**
S. ELISABETH ANNAE SETON,
QUOD IN LOCO INVENITUR QUI VOCATUR EMMITSBURG,
BALTIMORENSIS ECCLESIAE, INTER BASILICAS MINORES REFERTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter
praeclarissimas mulieres quae in America exstiterunt, procul dubio annumeratur Elisabeth Anna Seton, quae non modo
virtutibus insignibusque operibus eminuit, sed quaedam induxit institute et consuetudines, quae magnum emolumentum
catholico nomini attulerunt. Merito igitur ipsa ubique celebrator, at praesertim in urbe quam ibidem accolae Emmitsburg
vocitant, in qua eidem templum venustum dicatur. Audiendae igitur existimavimus preces, quas fidenter admoverat
Venerabilis Frater Gulielmus Henricus Keeler, Archiepiscopus Baltimorensis, qui cum suam tum suorum fidelium
significans mentem poposcerat ut sanctuarium nationale Sanctae Elisabeth Annae Seton dicatum, quod antea
memoravimus, titulo Basilicae Minoris honestaretur. Idcirco prorsus ea comprobantes quae Congregatio de Cultu Divino
et Disciplina Sacramentorum decrevit, Nostra Nos innitentes Apostolica potentate, istud ipsum sanctuarium quod supra
diximus in numero catalogove inscribimus Basilicarum Minorum, universis item iuribus concessis privilegiisque additis,
quae ad id genus pertinent aedificia. Mandamus dein ut Decretum «de titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris
anno MCMLXXXIX foras emissum diligenter servetur, contrariis rebus quibusvis minime obsistentibus. His denique
concessis favoribus aedes ista sacra novum splendorem posthac consequetur, unde eventurum arbitramur studiosum
fervorem cunctis fidelibus, qui huius celebratae mulieris exemplis concitati eiusdem vestigia sectari contendant. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Februarii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio
decimo. ANGELUS SODANO, *archiep.*

Prosecretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana